



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 3. Vtrum species possint aliquid extrinsecum immutare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Quid quæ-
ritas, & ad
quæ vim.

tendat, efficiatque vt alia firmiter sit extra aliam, neque possint esse naturaliter simul: Sine hac autem quantitate partes materiæ posse esse simul, & confluere in punctum; vnde essent ineptæ ad recipiendam actionem rerum naturalium. Itaque Deus ab initio creauit materiã primam sub quantitate, per quam expanderetur, & idonea fieret ad formas accidentarias, & substantiales recipiendas. Vnde quantitas est prima dispositio materiæ, mediante quã recipit alias dispositiones, sic vt hæ immediatè insint quantitati; & per quantitatem insint materiæ. Quò fit, vt subtractã materiã, & conseruatã quantitate, reliqua accidentia naturaliter remaneant in quantitate, tanquam in suo immediato subiecto; ita vt nulla in illis fiat mutatio quoad inhærentiam, seu vnionem cum subiecto; sed solum in quantitate.

Probarur
Ratione.

Probat hanc sententiam D. Thomas tribus rationibus: quæ quia facillè solui possent, adde tres alias. Prima est; Quia, nisi illa accidentia essent in aliquo communi subiecto, non haberent inter se aliquam connexionem: vnde facillè exciderent ex se inuicem; neque se mutuo necessariò comitariantur, dum aliquod ex illis moueretur loco. Secunda, Quia non possent dari commoda ratio, cur species viniu hostiæ nõ possent penetrare species alterius hostiæ; si nulla est ibi quantitas impediens penetrationem: nam quantitates propriæ singularum specierum possunt se mutuo penetrare per intimam præsentiam; nam calor penetrat colorem, & contrã. Tertia, Quia agens naturale nõ possent hostiam naturaliter calefacere, si non subesset quantitas, quia non potest naturaliter calorem producere extra subiectum. Hoc enim esset creare. Sed, vt verum fatear, & hæ rationes non difficulter solui possunt. Quare prior sententia mihi magis probatur. Vide lib. 12. de Perfect. diuini cap. 16. num. 112. & 113.

ARTICVLVS III.

Vtrum Species possint aliquid extrinsecum immutare?

8
Responso
est affir-
mans, &
patet expe-
riencia.

Respondeo, Certum est species sacramentales posse immutare res extrinsecas. Patet experientia: nam immutant oculos, sensum gustandi, odorandi, & tangendi: item calefaciunt & refrigeriunt. Ratio est, Quia istæ species non à subiecto, sed ex se habent vim agendi: vnde calor separatus nõ minùs est actiuus, quàm immersus materiæ. Confirmatur, Quia existeret per se, non impedit actionem, sed potiùs iuuat, expedit ipsam vim ab impedimento materiæ: Vnde, quidquid species possunt, dum existunt in substantiã, possunt etiam separatim.

Quomodo
species
vini, vinum
signant.

Dices, Species vini, dum existunt in substantia vini, possunt producere vinum; si liquor idoneus admisceatur. Atqui hoc non possunt separata: quia non agunt in virtute substantiæ vini; vt quæ tunc non existat. Respondeo, Si accidentia vini, cum inhærent substantiæ vini, possunt per se ex alio liquore vinum generare, non concurrente immediatè ipsa substantia vini (vt videtur sentire Thomistæ): etiam id possunt dum separata sunt. Nam tota actio est ab ipsis accidentibus; ipsa enim sunt virtus substantiæ. Quod si substantia vini immediatè debet cooperari (vt vult

Scottus dist. 12. q. 3.) accidentia per se non possunt vinum generare; sed causa vniuersalis supplet quod ipsis deest, scilicet influxum, quem haberet substantia, si adesset: & simili modo supplet influxu formæ, dum species vini calefacta, vel frige facta, reducant se ad suam naturalem temperiẽ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Species possint corrumpi?

Respondeo, & Dico Primò, Certum est, species sacramentales posse corrumpi, & desinere esse, vt experientia docet. Ratio est, Nam cum hæ sint in quantitate, vt in subiecto, possunt actione agentium naturalium similiter corrumpi introductis contrarijs qualitibus, sicuti si substantia panis & vini subesset.

9
Affirma-
tur.

Vtrum autem ipsa quoque quantitas, quæ est aliorum accidentium subiectum, corrumpi vel alterari possit, dubium est ad physicam pertinens. Si enim quantitas est coeua materiæ, & nihil quantitatis in mundo oritur, vel perit, sed eadem semper manens expanditur per rarefactionem, & contrahitur per condensationem, vt magni tenent Philosophi; sic nihil quantitatis perit desinentibus speciebus. Si autem tota quantitas in singulis rerum generationibus, & corruptionibus perit, sicut vult D. Thomas cum suis, concedendum est etiã quantitatem ipsam desinentibus speciebus interire, non per corruptionem propriè, cum nullum subiectum subsistat, sed per quandam veluti annihilationem, Deo desinente illam conseruare. Quando enim actio causæ naturalis adeò inualefcit in species, vt iuxta naturæ ordinem substantia panis & vini deberet corrumpi, & consequenter eorum quantitas, tunc quoque Deus desinet illam quantitatem in Eucharistiã conseruare, sicutque in nihilum recidere.

10
An quanti-
tas possit
corrumpi
in Eucha-
ristiã.

Dico Secundo, Quando species sacramentales adeò immutantur per causas naturales, vt iuxta naturæ ordinem non possent amplius natura panis vel vini sub illis conseruari, eodẽ momento quo desineret panis vel vinum, desinet ibi esse Corpus Christi. Est certa. Et Ratio est, Quia Corpus & Sanguis Christi succedunt in locum substantiæ panis & vini; vnde respectu mutationum, quæ fiunt circa species, sic se habent, sicut se haberent substantiæ panis & vini, exceptã informatione: ergo desinunt, quando desineret substantia panis & vini. Vide Gabrielem lect. 34. in Canonem Missæ.

10
Quando
desinat esse
Corpus
Christi sub
speciebus.

ARTICVLVS V. & VI.

Vtrum in Speciebus sacramentalibus possit aliquid generari vel nutriri?

Respondetur Affirmatiuè. Est cõmunis sententia, & constat experientia. Si enim hostiæ multæ comburantur, generantur cineres. Si nimis diu asseruentur, generantur vermes. Et posset homo illis speciebus in magnã quantitate sumptis per totam vitam sustentari.

11
Affirma-
tur.

Sed difficile est explicare, quomodo id fiat. D. Thomas refutat hęc tres sententias.

11
Tres sen-
tentia
quomodo
aliquid
generetur
ex specie-
bus.

Prima est, Generationem, quæ videtur fieri ex speciebus sacramentalibus, fieri ex aere circumstante: quod bene refutat.